

FRANCISCI PATRICII
PANCOSMIAS
LIBER VIGESIMUS SECUNDUS
DE IGNIS ELEMENTO.

Peragrata contemplando universa ætherea regione, et tota eius tractatione peracta, est modo in hylæum mundum speculando descendendum. Quem Zoroaster, uti retulimus, triplicem fecit, Aerem, Aquam, Terram. Situmque eis in orbe assignavit.

Γῆν δ' ἐν μέσῳ τιθεῖς, ὕδωρ δ' ἐν γαίᾳς κόλποις,
Ἥερα δ' ἄνωθεν τούτων.

“Terram in medio posuit. Aquam in terræ finibus,
Aerem supra hasce.”

Tria ergo tantum in mundo hylæo collocat corpora quæ posterius vocarunt elementa. Hermes vero inter sapientissimos tempore secundus, de re hac ita loquitur in Asclepio.

“De cœlo cuncta descendunt, in terram, et in aquam, et in æra. Ignis solum, quod sursum versus fertur, vivificat, quod deorsum, ei deserviens.”

Quatuor ergo mundi videtur statuere elementa. Sed eo sensu, quo alio oraculo, ante ipsum Zoroaster, et post eum Orpheus expresserunt, ille.

Τὸν ὅλον κόσμον

Ἐκ πυρὸς, καὶ ὕδατος, καὶ γῆς, καὶ παντοτρόφου αἰθρῆς.

“Universum mundum.

Ex igne et aqua, et terra, et omnia nutriente æthere.”

Subintelligamus, constituit Conditor. Aetherem autem intelligit cœlum, ita ut mundus universus sit constitutus, ex terra, aqua, aere, et æthere, qui omnia nutriat, quod Hermes dixit, vivificat ignis. De qua nutritione postea. Orpheus vero, eadem de re ita canit in Iove

Ἐνδε δέμας βασιλείον, ἐν ᾧ τὰ δὲ πάντα κυκλεῖται.

Πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ γῆ, καὶ αἰθήρ, νόξ τε καὶ ἡμᾶρ.

“Inque vultus regius, in quo hæc omnia

circulantur, ignis et aqua et terra, et æther, noxque diesque?”

Pro quarto et hic, ponens æthera, sicuti Hermes ignem superum vivificum. Tres ergo hi sapientiæ, Chaldaicæ, Aegyptiæ, et Græcæ patres. Mundum ex quatuor corporibus hisce constituunt. Ocellus vero Lucanus, Pythagoræ auditor, omnium quos sciamus primus, sub Luna, et supra ærem ignem statuit, ita ut mundus ex quinque constituatur elementis, terra, aqua, ære, igne, cœlo, sive æthere. Quorum quatuor priora, versari in generatione docet. Lunam vero esse quasi sepem.

Ἰθμὸς γὰρ ἀθανασίας, καὶ γενέσεως, ὁ περὶ τὴν σελήνην δρόμος.

“Sepes enim est immortalitatis, et generatrinis, cursus is qui Lunæ est”.

Deinde addidit:

Τὸ μὲν οὖν πῦρ, καὶ ἡ γῆ ἄκρα, τὸ δ' ὕδωρ, καὶ αἰθήρ μεσότητες.

“Ignis quidem et terra, sunt extrema, aqua vero et ær medietates.”

Hanc sententiam Empedocles est secutus. Et post eum Hippocrates. Sed Aristoteles, ipsismet Ocelli verbis, nulla eius facta mentione, eam transtulit, et suam fecit. Itaque universus post cum Peripatus, inter Lunam, et aerem, ignis elementum, et sphæram statuit, et ita esse, et credit, et contendit. Hæc res an ita se habeat, operæ precium veritati fuerit, diligenter examinare. Tam magnum namque corpus, quem Aristoteles ærem decuplo superare, videtur statuere. Et quod Astronomi, uti retulimus, crassum esse asserunt M. Pass. 11556 cum nulli sensui pateat, et multis repugnet rationibus, non est oscitanter prætermittendum, neque veritatem vestiganti negligenter concedendum. Præsertim, cum et primi illi sapientes, et post eos multi, inter quos Plato et Græci alii, et Latini, partim cum